

Supradicti etiam Sindici, Actores, procuratores, ambaxiatores, nuncii speciales prefati illustri domini ducis, consiliorum et communis Veneciarum nomine et vice dictorum domini ducis, consiliorum et communis ex una parte, et predicti procuratores, actores, sindici, ambaxiatores et nuncii speciales prefatorum magnificorum dominorum domini Francisci de Carraria imperialis vicarii generalis Padue etc., et domini Francisci junioris generosi ejus nati, et dicti communis Padue, nomine et vice supradictorum magnificorum dominorum et dicti communis ex altera pro se, civitatibus, terris, locis, subditis suis, fidelibus, adherentibus, vallitoribus et sequacibus ipsarum partium et cujuslibet earum, contraxerunt et firmaverunt sibi invicem, mutuo et vicissim et inter se bonam et veram pacem, dirigente domino perpetuo duraturam. Et primo sibi mutuo, invicem et vicissim remiserunt et remittunt omnia odia, rancores, injurias, offensas, cedas, vulnera, captiones, raptus, rapinas, incendia, violentias et alia quaecunque damna tam realia, quam personalia per dictas partes vel aliquos subditos ipsarum partium vel alterius earum, seu aliquas gentes vel singulares personas ipsarum, vel alterutrius earum, seu adherentes, complices, vallitores vel sequaces alterutrius partium quocumque et qualitercumque illata, data seu facta fuissent, et omnes penas et interesse in quibus per presentem guerram vel aliqua hinc retro inter dictas partes facta vel commissa fuisset iucursum. Facientes sibi invicem et vicissim dicte partes nominibus antedictis finem, quietationem, omnimodam liberationem et pactum de ulterius non petendo; nec non de predictis omnibus et singulis per acceptilationem et aquilianam stipulationem, verbis solepniibus et legitimis interpositis, plenarie sese invicem liberando, sibi mutuo et vicissim promittentes bonam et veram pacem predictis non obstantibus perpetuo observare. Et quod occasionibus supradictis, nec aliqua earum nulla in perpetuum lis, causa, molestia, controversia, vel requisitio fiet, vel movebitur per unam partem contra aliam vel contra singulares personas alterius partis, complices adherentes, vallitores, vel sequaces